

mus? Negas? Quomodo illa explicas? Si enim ad libellam dirigetur, alueolatus oculo videbitur. dicis. Stylobata habebit per medium adiectiones per scamillos seu gradillos impares. Qui quidem stylobata si operi adhibeatur, alueolatus oculo videbitur, speciem videlicet vasi præ se ferens ventre turgidulo, & collo pedesq; leniter ad gracilitatem contracto. Satis fanus es? non ne vides tunc alueolatum oculo non se ostensurum stylobatam, si adiectio ex Vitruvii præscripto facta fuerit? Venenum certè ægro antidoti loco propinasti. Si scamilli non addatur, alueolatus oculo videbitur, scamillos addis, alueolatus apparet. Quid addis si contra mentem authoris addis? Porro quod antiquum te stylobatam in Exquilis vidisse affirmas, nihil ferè facit ad rem, multa enim fecere antiqui quæ nisi cum vitio imitari nemo queat. Quid? nonné in peruetusto templo quod adhuc Tiburi visitur, & in Ariminensi fornice Corinthiæ bases nullos plinthos habent? Nonné contra Vitruvii præscriptum & antiquorum Græcorum vltum, Romæ in Titi Vespasiani & Constantini fornicibus, & alibi, denticulos videas sub mutulis positos? licentia hæc est, & non imitanda licentia, licet & hæc suos habeant vindices, & imitatores. Vtiq; hoc ingenii sui, ut ipsi visum est, partu ita mirificè Bertanus est delectatus, ut loco ornamenti stylobatam huiusmodi marmoreum ostio domus suæ, quæ Mantuæ est, ad pactum, æternæ memoriæ consecrauerit. Frustra tamen labores prodegit, quando vsus ipse, & communis hominum consensus, ijs quæ pro sua sibi libidine finxerat, auctoritatem ademit. Nos igitur Bertano prætermisso, rem hanc nouissimi omnium aggrediemur & quid hac in re illustranda ingenio possimus, periclitabimur. Principio cum assiduis cogitationibus rem hanc animo versarem, illud occurrebat; fieri posse scamillos Vitruvium tympana quædam appellasse, stylobatæ trunco ad pacta, & quora eorum parte extantia, ne scilicet alueolatus oculo videretur. Primo itaq; simplex adieci tympanum, quasi scamillum ab exæquata stylobatæ planicie protu-

protu-